



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

Cap. XXVI. De incremento bono Claustri in Heidenheim.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

nis, ad vocationem S. Bonifacij, ac B. VVil-  
libaldi ad S. VVunnebaldum in Thurin-  
giam prius peruenerant, ibidem sub regu-  
lari custodia Deo seruientes.

## CAPVT XXVI.

*De incremento bono Claustri in  
Heidenhaim.*

**R**euertit itaq; locus ille per merita san-  
cti VVunnebaldi, & S. VValpurgæ  
Virginis; & sicut interius orationibus & di-  
uino obsequio Sãctorum est adornatus, ita  
breui tempore in exteriorib<sup>9</sup> fidelium ob-  
lationibus est amplificatus. Nec immeritò:  
nam *omne Monasterium, quod in spiritualibus bene regitur, in temporalibus per omnia prosperatur: quod verò in spiritualibus malè regitur, in temporalibus pessimè gubernatur.* Et hoc in diuersis Ecclesiis, Ordinibus, ac monasteriis, nostris temporibus plus experientia docet, quàm codices proloquantur. Omnes etiam qui spiritali ædificatione per verbum S. VVunnebaldi proficiebant, de prædiis, de mancipiis, de rebus

*Notabilis sen-  
tentia.  
Et auro scri-  
benda.*

*Liberalitas fi-  
delium erga  
S. VVunnebal-  
dum.*

rebus mobilibus, puta de auro, de argento, de gemmis, de auro textis vestibus per manum S. VVunnebaldi, oblationes Deo offerebant.

Cum autem Venerabilis Abbas, Confessor Christi, videret fines prædiorum suorum dilatari, & in omni ornamento & diuitiis secularibus res Ecclesiæ augeri, veritus extollentiam oculorum ex superfluitate diuitiarum generari, partem Ecclesiasticarum rerum in vsus pauperum distribuit, & quædam ex prædiis Ecclesiæ cellis adiacentibus adhuc mendicitate paupertatis laborantibus, hilari mente ac larga manu contradidit. Attendebat enim Prophetam orantem & dicentem: Inclina cor meum *Psal. 118.* in testimonia tua, & non in avaritiam. Et item: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia *Psal. 111.* eius manet in seculum seculi. Et, quoniam dicit Apostolus: hilarem datorem diligit *2. Cor. 9.* Deus. Ideoque quicquid Heidenhaimensis cella tempore S. VVunnebaldi proprium possidebat, tempore necessitatis cum nihil habentibus, commune habebat; & indefessum

*S. VVunnebaldi in pauperes liberalitas.*

*Sub s. VVun-  
neb. & s. VVal-  
purga viget  
Monastica  
disciplina.*

fessum rerum necessariorum pro posse suo, ac largum auxiliatorem omnibus opem suam quærentibus, semper se exhibuit. Sub ipso, & per ipsum vigebat religio Monachorum, ipso exhortante & S. VValpurga cooperante, sanctitas & castitas floruit Virginum. Fuitque illo tempore Heidenhaimensis Ecclesia asylum, & portus omnium laborantium; nec fuit, qui in tribulationibus suis non inueniret ibi certum refugium, per merita & orationes Sanctorum inibi Deo ministrantium. Quam ob rem homines circumiacentis regionis cellam prædicti Confessoris muro circumdederunt, & infra ambitum muri annuente B. VVunnebaldo, locum sepulturæ sibi elegerunt.

*Cella s. VVun-  
nebaldi muro  
cingitur.*

Similiter etiam Confessor Christi VVillibaldus omnibus subiectis suis gratissimus extitit; & cum Martha in actiua vita studiosissimè desudauit; & cum Maria in contemplatiua vita Domino iugiter adhæsit. Verè fratres isti, scilicet S. VVillibaldus, ac B. VVunnebaldo non immeritò duæ dicuntur oliuæ eximiæ pietatis, & duo candelæ.

delabra lucentia in virtute primæ veritatis, ante Dominum: quia sicut per S. VVillibaldum illuminata est Bauaria, ita omnis cæcitas incredulitatis per S. VVunnebaldum fugata est à Thuringia. Nam linguæ eorum vim clauium, scilicet autoritatis & scientiæ habentes, ad occulta cordium multa virtute & Spiritus sancti cooperatione peruenerunt, & eis ianuam regni in virtute passionis Christi referantes, ipsos deduxerunt super semitas iustitiæ, vt ingrederentur, & regrederentur ad pascua vitæ, & de fontibus Saluatoris haustu salutaris sapientiæ eodem potauerunt. Non facile autem discerni poterat, quis eorum humilior, quis in agricultura Dei studiosior, & quis in obseruantia mandatorum Altissimi videretur esse præpotentior. Sed cùm vnum videres, alterum te nouisse putares: & quamuis duo essent in corpore, vna tamen fides, & vnus spiritus deuotionis regnabat in vtroque.

*Virtutes par-  
les S. VVillibal-  
di & S. VVunne-  
baldi.*



O

CAPVT